

loqui reginae secrete', permissumque est ei. Qui dixit reginae: 'Si dixeris mihi veritatem de eo quod petiero, filius tuus liberabitur; aliter non'. Quae respondit et spondit se illud facturam. At medicus dixit: 'Quis est pater infirmi?' Respondit regina: 'Tu mirabiliter petis; rex est pater ejus.' Et medicus dixit: 'Ex quo mihi non vis dicere veritatem, ego recedam.' Et regina videns ipsum velle recedere, cum multum affectaret filii sanitatem, ait: 'In curiam regis supervenit quidam miles valde pulcher, in cujus amorem exarsa me cognosci permisi et inde conceptus est infirmus iste, qui regis filius opinatur'. Tunc dixit medicus: 'Modo veritatem es locuta' et facta postmodum cura decenti, filius reginae existit liberatus et rex eidem medico dedit magnam copiam auri. Rediit medicus ad Hippocratem nepotem ¹⁾ suum narrans eidem quae fecerat. Hippocras autem invidia motus ex eo quod iste melior erat eo (ex eo quod multos libros fecerat Hippocras), ne post mortem propter istum nepotem suum ejus mentio cum memoria deleretur, ipsum ²⁾ occidere machinatus est vocansque ³⁾ ipsum quodam die in viridarium suum, ubi erat herbarum medicinalium multitudo, inspexit Hippocras quandam herbam bonam multas habentem virtutes dixitque nepoti suo: 'Videsne aliquam herbam bonam?' Qui respondit: 'Video' et illam ostendit et collegit et Hippocrati singulas virtutes declaravit. At Hippocras vidit aliam herbam, cujus virtutes nepos suus ut prioris declaravit. Tertiam herbam vidit nepos Hippocratis, quam Hippocras non vidit et dixit (276^a) Hippocrati: 'Haec est melior cunctis herbis'. Dixitque Hippocras: 'Collige eam' et dum se flecteret ad colligendum ipsam, Hippocras ipsum ad cor cum gladio pereutiens [occidit] clamque ipsum sepelivit. Contigit autem postea quod Hippocras infirmaretur et passus est intolerabilem fluxum ventris, quem ipse nequaquam valuit restringere cum omnibus suis medicinis. Et dixit suis ministris: 'Ego non possum restringere hunc fluxum meum' faciens autem aquam cum pulveribus restrictis ut usus ea attraheretur ⁴⁾, et videns hoc non proficere fleuit amarissime de vita omnino desperando et dixit servis suis: 'Si viveret nepos meus dilectus, me ab hac infirmitate indubitanter liberaret'. Sed merito et digne ipse

1) So die Hs., statt *avunculum*. — 2) Cod. *ipsumque*. — 3) Cod. *locansque*.

4) Hier weicht der Text nicht bloß von den anderen Fassungen, sondern auch von der italienischen Version derselben Fassung ab. In diesen nämlich heisst es, dass Hippocrates, welcher von seiner Wissenschaft Zeugniß ablegen will, das Pulver verwendet, um die Löcher eines mit Wasser gefüllten Topfes zu verstopfen.